



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**IVRIS CANONICI|| SEV PONTIFICII|| PARTITIONES,||**

**Grégoire, Pierre**

**[Frankfurt], 1595**

**VD16 G 2996**

5 De Paganis, Iudæis & Agarenis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63677](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63677)

ui in Christo socii dominorum sunt parti  
cipis eiusdem saluus & mysteriorum, in 1.  
epistola D. Ioan. ca. 3. ratione & corporis  
fratres, & ex eadem propagatione carnis,  
ca. ad mensam, 11. q. 3. Seruorum & Do-  
minorum vnus dominus & Iudex in cælis  
Deus, D. Paul. ad Ephes. c. 6. ver. 9. non est  
seruus, non liber apud dominū, ad Col. 3.  
vers. 21. qui in Domino vocatus est ser-  
uus, liberius est domini, similiter qui liber  
vocatus est, seruus est Christi, 1. ad Corint. B  
ca. 7. vers. 21. & 22. rursum, 1. ad Tim.  
cap. 6. vers. 1. qui fideles habent domi-  
nos, non contemnāt, quia fratres sunt,  
sed magis seruiant, quia fideles sunt &  
dilecti, facit Eccl. 7. vers. 23. Seruus sen-  
satus sit tibi dilectus, quasi anima tua:  
non defraudes illum in libertate, nec  
inopem derelinquas etiam. Nec con-  
ueni Christianis inferiores esse, vel Eih-  
nicos, qui cōditionis suæ humana commu-  
nis memores, noluerunt habere seruos: cu-  
iusmodi fuerunt Indi, Locri, Phocenses, a-  
luue populi, vt Tholosani, Byturiges, de  
quibus nos abunde. lib. 14. Syntagma. iur.  
capit. 1.

## DE PAGANIS, IUD- DÆIS & AGARENIS. b

### a TITVLVS V.

a Agitur de illis, lib. 1. C. tit. 14. de paganis & sa-  
cificiū eorum.  
b Agitur tit. 6. lib. 1. C. de Iudæis, & tit. 9. l. 12.  
de Cœlicolis, de Iudæis & Sarracenis & eorum  
seruū. lib. 5. Decret. tit. 6. lib. 5. Sexti. tit. 2. &  
lib. 5. Clement. tit. 3. ca. eos. 1. quasi. 1. & alibi, in  
extravagantibus, Ioannis 12. & in communibus  
lib. 5. Ne Christianum mancipium, hereticus vel  
Iudæus vel Paganus habeat vel circumcidat, lib.  
1. C. tit. 10. de Samaritis Nouella Iustina. 129.  
& alia 144. qua est Iustini de Samaritis, vt li-  
ceat Hebræis secundum traditam legem, sacras  
scripturas Latina vel Græca vel alia lingua lege-  
re: & vt de locis suis expellantur non credentes  
iudicium vel resurrectionem, aut dicentes Ange-  
los non subsistere creaturam Dei, Nouella Iusti-  
nia 146. vt non liberentur Iudæi Samaritani &

heretici per causam religionis & cultus sui a cu-  
riali fortuna, &c. Nouella Iusti. 45. vt Iudæi se-  
cundum Christianismi ritum viuāt, Leonis No-  
uella 55. de Iudæis constitutio. 2. Heraclii lib. 1. iu-  
ris Orient. alii Bonafidii, de Hebræis & montanis  
Leonis Iconomachi apud eundem Bonafidium, &  
constitut. 14. Manuelis Comneni de foro Iudæo-  
rum.

### CAPVT I.

#### Diuisio personarum ratione reli- gionis.

Ratione religionis, diuidemus iterum  
personas, in infideles, qui fidem Chri-  
stianam non habent, & fideles seu Chri-  
stianos qui habēt. De infidelibus prius, de  
hinc de Christianis agemus, Deo iuuan-  
te. Inter infideles, & non Christianos an-  
numerantur Pagani, a seu Gentiles, aut  
Ethnici, b Iudæi, c Turcæ, d seu Sarrace-  
ni, e Apostata a fide. f Certum est enim  
quicquid a fide Christiana discrepat, legi  
Christianæ esse contrarium. g

### SCHOLIA.

a Pagani dicuntur infideles, & extra Eccle-  
siam positi idololatra, ca. quam sit lauda-  
bile, 10. de Iudæis, qui legibus canonicis,  
seu Ecclesiasticis nō ligantur c. gaudemus,  
de dimortis, lib. 4. tit. 19. quamuis indire-  
cte subiciantur. c. post miserabilem, & ca.  
quāto, de usur. c. etsi Iudæis, de Iudæis. Pa-  
ganus a pagopagus, ἀγορῆ πῶγος, a fontib.  
circa quos rustici cogunt vicos & villas:  
vnde Paganus pro ignaro, & amuso & ru-  
stico: quare & se semipaganum nominat  
Persius in principio sua Poeseos, vide qua  
nos diximus, lib. 19. Syntag. iur. c. 1. Cicer.  
in plebe Romana paganos & montanos no-  
minat. Paganorū nomine Iurisconsulti fe-  
re semper intelligunt ignobiles, non milites,  
quos illis opponunt. laus nostrum. 7. de reg.  
iur. Pan. l. signorans. locati. P. Item apud  
Cæsares & apud iuris Pontificii auctores.  
Paganus pro alieno a fide Christiana, qui  
colit idola, ponitur, vt ti. C. ne Christianum  
mancipium hereticus, vel iudæus, vel pa-



prauare, ut docet Galatinus lib. 1. aduersus Iudeos, c. 8. & quia lucem quoque scripturarum amiserunt, iuxta professionem Esa. c. 2. & adhuc adherent coruic legis, impotentes mentem eius assequi: unde & Iudaizare dicimus, verba sequi simpliciter, non mentem, c. vni. §. fi. de sacra unctio. lib. 1. tit. 15. in lege quippe antiqua, cui mordicus sine distinctione adherent Iudæi, sunt precepta & moralia & mystica: moralia, quæ mores informant, ut diliges Deum tuum, non occides. & c. de quibus in ca. quid in omnibus, 32. q. 7. mystica sunt, quæ aliud significant præter id quod litera sonat: quorum quedam sunt Ceremonialia, alia sacramentalia. Sacramentalia sunt quorum ratio reddi potest, ut est preceptum circumcisionis & conseruationis sabbathi, quæ translata sunt translato sacerdotio, c. translatio, de constitut. c. maiores, de baptismo. Ceremonialia sunt quorum ratio reddi non potest, quare ad literam precepta, ut, non arabis in boue & alino, non facies vestem de lino & lana contextam. ca. in nouo, 16. quest. 7. lex porro antiqua diuina quantum ad precepta moralia, non est immutata: at ceremonialia & sacramentalia, mutata fuerunt, quantum ad sonum seu superficiem literæ, sed non quantum ad mysticum sensum & intellectum eius literæ. ca. Marcis, 1. q. 1. in principio. §. distinctionis, & in ca. fin. §. fi. 6. dist. & ibi glossa. Sic vetus testamentum fuit transitorium, hircorum & vitulorum sanguine dedicatum temporalia promittens. Nouum autem, quod fuit sanguine Christi consecratum, & confirmatum, promittit æterna, & æternum manet. cap. cum Martha, 6. §. caterum, de celebratio. Missarum. sic in pluribus distinguuntur Iudæi a Christianis, & Iudæi alieni a religione & fide Christiana hodie sunt.

d De Turcis Turcarumq. nomine scio plura, aliquando etiam contraria scripta; omnis autem controversis, mihi placet Togarmam, de quo Gen. 10. c. Turcico nomini

dedisse originem, & ita etiam Elias in Tisby censet, & meminit de his Ezechiel, c. 27. vocans thorgama. Thunnos Turcas vocari a Plinio docet Hermolaus in suis castigationibus Pliniani lib. 6. c. 7. Theodorus Gaza ex Scylace, Turcas dicit eos qui apud Strabonem dicuntur ~~scythia~~, quos Romani Curtios vocant, & contracte curtos. Et a Scythis qui Caspium montem habitant inter Pontum Euxinum & Caspium mare, originem habere, omnes fere consentiunt. Sic Plinius ait, Turcas populum Scythia, lib. 6. c. 7. & Mela sub finem libri 1. (quamquam quidam aliter legat sed ridicule) & Herodotus in 4. Sacra litera hos per Magog significant alicubi. Nam Magog, Hebræis est Scythia, erantque ibi idololatra ex numero eorum quos Paganos diximus, quales & erant Sarraceni antequam admitterent Mahometicam impietatem, fuerunt isti Turca ex Ismaëlis genere, ut docet de his omnibus Nicephorus Calixtus, lib. 18. Historia Ecclesiastica c. 30. ita Turci & Turcomanni dicuntur, qui aliquando ex Scythia & Tartaria Orientali, Turkestani nomine, erumpentes, Alanos, Colchos, Armenios, Cappadocas & magnam Galatie partem, Persas, & Sarracenos gladio infestarunt, rege existente nomine Seldulch, regnante Pipino Caroli Magni patre, anno Domini 756. ut scribit Egnatius lib. 2. Guillelmus Tyrrius lib. 1. belli sacri, c. 7. meminit Amianus Marcellinus, de Succo oppido, inter Thraciam & Dariam, ubi angustia & claustra Succorum, ubi Lazius munimentum esse putat quod hodie dicitur Turkzuest, neque quisquam ideo dubitauit nomen Turcarum ortum a Succorum nomine, siue legamus cum Rhinano verorum, quia nomen commune & Idioma loci conuersionem similem retinet literarum Turkzuest. Vnde vulgo Turca dicti. Ex ea gente hodie & Asiam minor & maior & Cilicia impletur.

e Σαρρακην, Sarracenia Arabia Petrea re-

gio, apud Ptolomeum, quicum Plinius Sarracenorū urbem Arram vocat, sitam in Arabia felici. Hebrais Sarraceni dicti Chastuini ut ait Ariel Montanus. Inter Persas & Ofrenam, Mesopotamiam & Euphaticam provinciam constituuntur Sarraceni a Iustiniano, cum quibus & illi matrimonia contraherent, in constitutione eiusdem Iustiniani 3. titulo de his qui in Ofrena & Mesopotamia illicitas nuptias contrahunt, cui & coniungenda novella Iustiniani alia 154. Ammianus Marcellinus de Sarracenis, lib. 14. sic scribit, amici nec amici Romanis vnquam, nec habēdi vltro citroq; tempore, Galli Cæsaris discursantes vt milui, subito omnia rapiēbant. Harum gentium exordium ab Assyriis, & porrigitur vsq; ad Nili cataractas & confinia Gythiniarum, omnes pari sorte sunt bellatores seminudi, coloratis sagulis pube tenus amicti, equorum adiumento perniciousum, gracilium camelorū per diuersa reptantes in tranquillibus vel turbidis rebus: nec eorum quisquam, stium apprehendit aut arborem colit, aut arua subigendo quærit victum, sed errant semper per spatia longe lateq; distenta sine lare, sine sedibus fixis aut legibus per feruina diutius cælum, vita semper illis est in fuga, vxoresq; illis mercenariæ cōductæ ad tempus, &c. qua plura addit de victu illorum, ex ferina carne, ex potu lactis non vini, quod vel non haberent in vsum frumentū, & de aliis. Et idem Ammianus, eodem lib. 14. & 23. loquens de Perside. Scenitas Sarracenos dictos, etiam tradit, dicens, ab occidua plaga contingit Armenios & Niphatem: & in Asia Silos Albanos, mare rubrum & Scenitas Arabes quos Sarracenos posteritas appellauit. *Meminit Sarracenorū & Sextus Rufus in Traiano, Sarracenorū, inquit, & Arabum loca occupauit. Sarracenorū Arabum antiqua gens ex suo initio Idololatria deseruit, melius Agaroni, quam Sar-*

*raceni dicti, nam & Ismaelita dicti ab Ismaele, a quo descendunt, qui fuit primogenitus Abrabæ ex ancilla Agar, a qua Arabes illi Agareni nati, per duodecim principes generis multiplicati & maledicti. Quorum Ismaelitarum natio, quemadmodum auctor eorum Ismael natus secundum carnem ex Abrabamo & ancilla persequetur Isaac filium natum ex libera Sara, secundum promissionem genitum; sic ea profecuta est fideles primum Iudeos, dehinc Christianos ad Galat. 4. Gene. 16. can. si gens Angelorum, 56. dist. ipsi vero Ismaelita, vt prestantiores haberentur, noluerunt amplius dici ab Agar Agareni, sed a Sara, tanquam ex libera Sarraceni. Caterum Mahometes regnauit in Arabia, filius perditionis & Pseudopropheta per decem annos, & illi facti Mahumetani, qui ibi habitabāt Sarraceni, Clem. vni de iudeis.*

*C f* Apostatae sunt hi qui recesserunt omnino a fide quam acceperant, & lapsi sunt ad Iudaismum vel Paganismum, vel Mahumeti impietatem. l. 4. de Apostat. C. 24. eo. tit. apud Gregorium in decretalibus.

*g* l. calicularum, 12. C. de iudeis, quod & dixit Deus, qui nō est mecum contra me est.

## CAPVT II.

- 1 Qua Iudeis & Sarracenis seu Turcis, permessa inter Christianos.
- 2 Signo externo a Christianis distinguendi & consortio.
- 3 Et conugio prohibita.
- 4 Poena delinquentium Iudeorum.

**I**udeis, quandiu feruntur inter Christianos, permillum fuit suas omnes inter se ferias & festiuitates seruare, iuxta ritum parentum suorum, dummodo viuant sine contumelia Christianæ fidei, a Neque cogendi sunt ad fidem, vt neque Pagani. *h* Si tamen coacti semel receperint fidē Christianam, coguntur iterum eam seruare, & qui reliquerint pœnis legitimis compelluntur ad eam redire, c. De Sarracenis qui & Pagani & infideles sunt idem dicendum, si mo-

si modo non persequantur Christianos, & A  
velint pati iugum quod imponitur Iudæis,  
neque quicquam in contumeliam Domi-  
ni nostri moliantur, & si sustinentur inter-  
rim, dum de salute eorum proxima spera-  
tur, idque sine iniuria, sine etiam vllis sa-  
crificiis impiis illorum idolis & templis. *d*

2 Hoc tamen eodem tempore, distingui  
debent Iudæi, Sarraceni, inter Christianos  
viuentes signo externo publice delato in  
habitu seu ornatu, ne damnatæ commix-  
tionis excessus, per velamen erroris huius-  
modi, vltioris excusationis possint habe-  
re diffugium. *e* Non licet etiam Iudæis aut  
Paganis inter Christianos nouas exstrue-  
re Synagogas, aut templum. *f* Minusque  
Sarracenis Turcisque Mahumeticis, me-  
schitas. *g* Sic tamen huiusmodi infideles  
sub spe conuersionis ad Christum inter  
Christianos aliquando sustinentur, vt in-  
hibitum sit Christianis cum Iudæis habi-  
tare, manducare, bibere, lauare, aut ab illis  
medicamentum accipere, quod si quisquā  
aliter fecerit, si clericus sit, deponendus e-  
rit, si laicus, excommunicandus. *b* Quam-  
uis aliquando permissum fuerit Christia-  
nis cum ethnicis aliisque quam Iudæis ci-  
bum capere. *h*

3 Prohibitum Christianis cum Iudæis,  
Paganis, aliisque infidelibus coniugium  
inire. *k* Quinimo inter infideles contra-  
ctum, si alter in infidelitate velit remane-  
re, fidelis infidelem debet relinquere, si in  
contumeliam creatoris esset coniunctio,  
vnaque cum fidei transibunt filii in infi-  
delitate nati minores in fauorem fidei, & a  
parente infideli separantur: ne eius inuol-  
uantur erroribus. *m* Eadem ratione pro-  
pmodum prohibitum est cuiuscunque  
generis vel sexus Christianis, famulatio do-  
mestico inferuire Iudæis aut Paganis, qui  
contra fecerint excommunicationi subii-  
ciuntur. *n* Statutū & ne nutrices Christia-  
næ sint Iudæorum: quod si Iudæi habitas  
non reliquerint, interdicitur illis omne  
commercium cum Christianis. *o*

4 Quæ pœna contumacibus Iudæis solet  
imponi, p cum tamen alioquin, nisi in pro-  
hibitis, consortium permittatur illis Chri-  
stianorum. *q* Multo magis Iudæis, Paganis-  
que habere vel eruere Christianum man-  
cipium interdictum est. Quia nefas etiam  
est, quem Christus redemerit, blasphemum  
Christi in seruitutis vinculis retine-  
re. *r* Sed grauioribus pœnis sanguinis  
proscriptionisque bonorum, Iudæus affi-  
cietur, qui ausus fuerit Christianum ad  
suam religionem pertrahere, *s* vel Chri-  
stianorum mulieres vel pueros rapere. *t*  
Et quia Iudæi inimici sunt malitiosissimi  
crucis & Christi, interdicto fuit generali-  
ter vetitum, ne Iudæi ostia vel fenestras do-  
morum in die sanctæ Parasceues Paschæ  
aperiant, & cautum vt claudant tota die, v  
neue in publicum prodeant, ne audeant il-  
ludere Dominicæ passioni. *x*

## S C H O L I A.

a *c. etsi Iudæos, 13. de iudæis, & c. sicut Iudæi, 9. eo. tit. ca. 3. qui sincera, 45. dist. dummodo sine contemptu Christiana religionis ritus seruos colant, nam ita facere prohibetur l. Iudæos, quosdam, 11. & l. die Sabbatho, 12. C. de iudæis, l. Christianis, 6. C. de paganis. Permissum fuerat Iudæis, legibus Romanis, filios tantum suos circumcidere, non alios, non sua superstitionis: alioquin si fecissent, pœna castrantis puniebantur l. circumcidere, 11. ad leg. Corn. de sicar. in P. lib. 48. tit. 8. & perpetuo exilio cum bonorum proscriptione, l. Iudæi, 16. de iudæis. C. Imponitur & eis alia pœna a canone, in ca. nulla 14. §. si qui 54. distin. Fuit permissum etiam aliquando sub Clemēte 45. Pontifice, Sarracenis, sub legibus in Italia viuere a Carolo rege Hierosolymorum fratre Dini Ludouici, vt scribit Platina in vita eius Clementis.*

b *c. sicut Iudæi 9. de Iudæis, Theodoricus Rex Iudæis, apud Cassiodorum lib. 2. variarum, episto. 27. permittens reficere templum, damus, inquit, si quidem permis-*

sum: sed errantium votum laudabiliter A  
 improbamus, Religionem imperare nō  
 possumus, quia nemo cogitur ut credat  
 inuitus. *Et rursum apud eundem lib. 10.*  
*variarum, epistola. 26. Theobaldus rex*  
*Iustiniano Imperatori scribens, cum diui-*  
*nitas, inquit, patiatur multas religiones*  
*esse: nos vnā non audemus impone-*  
*re: retinemus enim legisse, voluntarie*  
*sacrificandum esse Domino, nō cuius-*  
*quam cogentis imperio. Et Tertullia-*  
*nus, ad Scapulam, nō est, inquit, religio-*  
*nis, cogere religionem, quæ sponte sus-*  
*cipi debet, non vi. Consentit Clemens Ro-*  
*manus in initio libri 9. recognitionum ad*  
*Iacobum fratrem Domini. Et D. Bernar-*  
*dus in Cantica, Sermone 66. fides, inquit,*  
*suadenda, non imponenda. De facto ta-*  
*men contigisse aliter aliquando legimus,*  
*et principes coegisse Iudeos commorantes*  
*in regnis vel ditionibus suis, fidem et bap-*  
*tismum suscipere. Sicut Paulus Diacon-*  
*us lib. 23. refert, quod Thebias Arabum*  
*dux Iudeos et Christianos ad Menzeri-*  
*sandum, id est ad Characterem Mahu-*  
*metis accipiendum, compulerit. Et Hera-*  
*clius etiam Heraclia filius, Imperator,*  
*Iudeos inuitos ad baptismum compulit,*  
*ut in epitome vitarum Cesarum post Au-*  
*relium Victorem habetur in eius vita. Ex-*  
*stat tamen Heraclii 2. constitutio, libro 1. D*  
*iuris Orientalis, qua omnes Hebraeos Hier-*  
*osolymis expulit, et cauit ne intra tertium*  
*miliare accedere liceret. Exstat et in eo-*  
*dem lib. 1. iuris Orientalis, alia constitutio*  
*Leonis Iconomachi Orientis Impera-*  
*toris, qua anno sexto Imperii, Hebraeos*  
*as Montanos ad baptismum adegit. Sise-*  
*butus quoque Rex Hispaniarum, coegit*  
*Iudeos ad nonaginta millia, ad baptismum*  
*venire, capit. de Iudeis, 45. distinct. vel*  
*regno suo excedere, idque regni sui anno 4.*  
*et Heraclii, 5. ut scribunt Isidorus in Et-*  
*ymo. et Ado. Quod postea dicitur emu-*  
*latus Dagobertus Francorum Rex, ut scri-*  
*bunt Vaseus, et Paulus Emilinus, Am-*

monius lib. 4. *Historia Francica, c. 22. Hoc*  
*autem cum quadam causa factum ab v-*  
*trisque putatur fere eodem tempore. Eoq-*  
*ut scribit Blondus lib. 9. decadis 1. et Pau-*  
*lus Emilinus in 1. quidam Astrologus*  
*pradixerat a circuncisis vastandum im-*  
*perium. Sub annum quoque 1295. iam*  
*tertio Iudæi in tota Francia spoliati et ex-*  
*acti sunt, hancque expulsionem ipsi appel-*  
*lat: דבר קטן ea cōtigerit 55. anno post quintum*  
*mundi conditi millenarium, et aliquan-*  
*do vocant דבר קאלו. quod anno 136. post*  
*illam Philippi Augusti exactionem, qua*  
*incurrit in annum 1190. pulsati tunc Iudæi*  
*migrarunt in Germaniam: unde et Iu-*  
*deos Germanos esse de radice seu trunco*  
*Francorum scribit Rabinus Elias in Tjubi*  
*in radice דבר קארבאץ. Exstat et alia no-*  
*uella 55. Leonis Imperatoris Philosophi,*  
*ut Iudæi secundum ritus Christianismi*  
*viuant: per quam emendauit titulum Co-*  
*dicis Iustiniani, de Iudeis, et Nouellam,*  
*Iustiniana. 146. fuerunt et iure ciuili ab*  
*Imperatoribus collegia Iudeorum appro-*  
*bata, l. spadonem 13. §. Iam autem, de ex-*  
*cusatio. tutor. lib. 27. P. iii. 1. interdum re-*  
*probata, ut neg. illis relinquere quippiam*  
*permitteretur, ut in l. 1. C. de Iudeis.*

C in ca. de Iudeis, 45. dist. ubi glossa explicat  
 de coactione conditionali coactis, non si ab-  
 solute coacti essent: in quo ultimo casu nul-  
 la voluntas esset etiam dicenda coacta, ad-  
 de rationem can. 33. ad fidem, 23. q. 5.  
 Scribit Kranius lib. 5. c. 14. Ratisbonen-  
 ses Iudeos, inuitos baptizatos tandem Im-  
 peratoris permissione ad Iudaismum rela-  
 psos. Caterum si coactio illa non precesserit  
 baptismum, impue ferre non debent, si a  
 fide apostate redeant ad vomitum Iuda-  
 smi, eaque de re poena definita in Concilio  
 Toletano, 4. c. 58. et in can. pleriq. 94. de  
 consecra. dist. 4. Facile enim ob perfidiam,  
 nisi poenis coercerentur, ad vomitum rede-  
 unt. can. Iudæi. 93. de consecra. dist. 4.  
 Sicut et Hungari a Christiana fide defi-  
 cientes, in paganismum episcopis et sacer-  
 dotibus

dotibus interfectis, pœna capitis Christiana. A  
 nissimum retinere compulsi sunt ab An-  
 drea rege 4. Hungarorum, & Uela, eius  
 fratre, ut scribit Nauclerus, & Bonfinius  
 lib. 2. Sic merito hæretici desertores verita-  
 tis ad veram fidem pœnis redire compelluntur, quod multis rationibus comprobatur in can. displicet, 38. cum sequentibus, 23. quæst. 4.  
 d sic notatur in ca. 11. dist. ar. 23. q. 8. c. in nonnullis, 13. de iudæis toto titulo de paganis & sacrificiorum. C.  
 e dicto c. in nonnullis, de iudæis.  
 f c. consuluit, 7. & c. 3. de iudæis, l. hac vilitura, 17. eo fit. de iudæis, C. licet tandem iudæis, ut ibidem dicitur, antiquas, si habeant, reficere.  
 g Clem. uni. de iudæis, lib. 5. Clementinarum ti. 2. ubi & Concilio Viennensi interdicitur publice inuocare nomen Machometi, vel peregrinationes ad sepulcrum alicuius Machometani, quem habuerint profanato, facere. Quocirca si Pagani vel Idololatre, voluerint habere simulacra, reiciendi sunt & puniendi morte. cano. non solum, 28. q. 1. maxime si Christianos ad infidelitatem prouocent, Deuteron. c. 13. vers. 6. Satius est erit si principes huius modi homines omnino tollant, nec permittant impiam hanc superstitionem, que nocet reipublicæ, & habet impios homines, iuxta D  
 ea que describit Salomon, Sapientia 14. vers. 27. ibi, infandorum cultura, &c. Inssu Constantini & alii Cæsares, claudis templa paganorum & tolli sacrificia eorum, imposita pœnitione bonorum & mortis supplicio, aperientibus & sacrificantibus, l. nemo venerandi, 7. & seq. 8. & l. 1. & 2. de paga. & sacrificiis eorum C. Niceph. Calixtus lib. 8. c. 18. & 25. legitur in 9. cano. tit. 4. c. 4. & 10. Græca constitutio, E k  
 nuper per compendium transcripta in noue excussis Codicibus Iustiniani, sub titulo de paganis, in fine, per quam non licet paganis docere qualemcung. doctrinam, nec publica licet frui illis annonæ: quare multo ma-

gis prohibentur docere & profiteri suam impietatem, & Christiani, discere, culpa enim par est discere & docere prohibita. l. culpa, 8. de malef. & Mathemati. lib. 9. C. 11. 8. de templo Iudæorum Hierosolymitano, Rufinus scribit lib. 10. historia Ecclesiastica, c. 8. & 39. quod Iudæi cum Iuliano apostata a fide, Imperatore, conati sunt readificare in odium Christianorum, sed terra motu & igne suborto phibitos. ca. Apostolorum, 69. in Sexta Synodo, c. 11. & in ca. 13. nullus eorum, 28. q. 1. Quidam in medicis distinguunt, ut pharmaca quidem simplicia, possunt a Iudæis emi, non mixta: & ut in casu necessitatis, si alius medicus non sit, vel si sit, sed non idoneus possit quis Iudæo uti vide Angelum (Lauasium & summam Rosellam, in verbo Iudæus: consortium etiam Iudæorum prohibetur in ca. 14. omnes, 28. q. 1. Exstat & in cano. Apostolorum 70. quod si quis Christianus oleum ad sacra gentilium aut in Synagoga Iudæorum in festis eorum detulerit, aut lucernas accenderit, a communione excludatur. Oleo enim utebantur etiam gentiles in templis suis, l. si sponsus, 5. §. 12. de donatio. inter vir. & vxor.  
 i ca. 17. infideles, 22. q. 3. cano. ad mensam 11. quæstio. tertia, olim porro licuit potius cum Ethnicis cibum capere, quam cum hæreticis & excommunicatis, quia sperabatur de salute eorum, hodie nec cum illis licet: quia discretionem habent ciborum, dicto ca. 24. ad mensam, 11. q. 3. ubi ratio, nisi si quando quis mittatur Ecclesiastes ad infideles conuertendos, quia licebit de cibis illorum edere, dummodo contra prohibitionem canonum non edat c. quam sit laudabile, de iudæis, & ibi glossa explicat. ca. non oportet, & ca. caue Christiana, 15. & ca. 17. si quis iudæica, 28. q. 1. & ibi in contrahentes pœna, excommunicatio. Iure civili pœna adulterii, in l. ne quis Christianam, 6. C. de iudæis, prohibetur & hæc cō-  
 ſultio cum infideli in sacra pagina, Gen. 6.



Exod. 34. 2. Esdræ c. 9. 3. Regum 11. A  
 florum 13. 1. ad Cor. 6. Deut. 3. vers. 21.  
 & c. 7. vers. 3. & c. 24. vers. 1. Concilio  
 Laodicensi c. 32. Concil. Chalcedonensi c.  
 24. Carthagenensi c. 21. apud Tertullia. 2.  
 ad uxorem, apud Cypri. 3. ad Quirinum,  
 Diuum Augustinum lib. 1. de adult. con-  
 iug. cum similibus. Nec obest, quod Moy-  
 ses aliquando sibi coniunxerit Ethiopis-  
 sam, can. plerumq. 27. §. item obicitur, 2.  
 q. 7. quia illud fuit in figura, quod Domi-  
 nus aliquando copulaturus sibi esset Ecclē-  
 siam ex gentibus, dicto ca. plerumq. §. his  
 itaq. respondetur. Rursum in Concilio To-  
 letano 4. cap. 6. unde sumus can. 12. Sex  
 malorum, 28. q. 1. statuitur sic, quicum-  
 que ex his qui baptizati sunt, amodo  
 consortia infidelium non vitauerint, &  
 illi Christianis donentur & illæ publi-  
 cis edibus deputentur. Sic imponitur pœ-  
 na corporalis coniugum cum infidelibus  
 attentantibus verborum imponendorum,  
 iuxta leges civiles, ut in ca. constituit, 17.  
 q. 4. c. in Archiepiscopatu, de raptor. Alio-  
 quin Ecclesia non iudicat de infidelibus,  
 quia extra Ecclesiam sunt, c. gaudemus,  
 de diuortis, c. multi 2. q. 1. Simplex etiam  
 coitus cum Iudæo Christiana, vel contra,  
 ignis pœnam habuit Lutetie, in persona  
 cuiusdam Olardi, qui ex Iudæa quam in  
 domo tenuerat susceperat plures liberos, D  
 Boerius decisio. 316. num. 3. Iulius Cla-  
 rus, lib. 5. sententiarum iuris, §. fornicatio,  
 num. 26. refert se vidisse damnatum Iu-  
 dæum, qui Christianam cognouerat pœna  
 decennii ad triremes, & Oldradus consi-  
 lio ultimo ait, statutum contra Iudæum,  
 qui Christianam etiam cognouisset, ut &  
 abscinderentur virilia, eaq. vidisse ante  
 palatium affixa. Communis etiam docto-  
 rum opinio est, ob id Iudæum vel Christia-  
 num non damnari ad mortem, sed ad ali-  
 am pœnam, ut scribit Boerius dicta decis.  
 316. p. 1. a pecuniariam secundum Alcia-  
 tum consil. 458. Alexand. consilio 13. vo-  
 luntate 7.

A<sup>1</sup> cap. quanto, & cap. gaudemus, de diuort.  
 lib. 4. tit. 19. vide can. non solum, & can.  
 sic enim recedere, c. 28. q. 1. Sic, si vnus ex  
 Iudæis infidelibus fuit Christianus, altero  
 remanente in infidelitate, fidelis ab infideli  
 Iudæo abire debet, can. 10. Iudæi, qui Chri-  
 stianis mulieribus 28. q. 1. ex Concilio To-  
 letano 4. c. 62. & glossa videnda in d. can.  
 Iudæi, qua multis modis distinguit.

B In Concilio Toletano 4. c. 59. & ca. 11. Iu-  
 daeorum filios, 28. q. 1. vbi tamen glossa ait,  
 non esse filios per vim baptizandos, quia a-  
 lioquin breui desinerent esse Iudæi, nec ve-  
 rum esset dictum, quod reliquia Israel sal-  
 ua siet. Adde superioribus similem textum  
 in §. fin. de conuers. infidelium, lib. 3. tit. 34.  
 n c. Iudæi, §. c. ad hac, 8. vbi ratio, de Iudæis.  
 o d. c. ad hac. & c. etsi Iudæos, 13. de Iudæis.

p ut in d. c. etsi Iudæos, & c. postulaisti, 14. de  
 Iudæis c. cum sit nimis absurdum, 16. eod.  
 titu. cap. post miserabilem, 2. & c. quando,  
 18. de vsur. lib. 5. tit. 19. c. 2. de testib. lib.  
 2. sexti titu. 8. Et est ex communi catio per  
 indirectum, per quam excluduntur a con-  
 sortio Christianorum Iudæi. ut notat gloss.  
 in Clem. 1. de test. & in Clem. unica, de vs-  
 sur. in c. Iudæi sint. de Iudæis.

q Clemētina unica, de Iudæis, dicto c. ad hac,  
 & ibi glossa ad verbū assidens. Ideo coloni  
 agrorum eorum, possunt esse Christiani, c.  
 2. de Iudæis, permittiturq. illis libertas im-  
 ponendi pretium rebus suis, vel praefectis  
 eorum, in l. nemo externus, de Iudæis. C.

r c. 1. & final. de Iudæis, can. mancipia, can.  
 presentis, §. 4. distinet. can. Iudæi, 7. q. 4. l. v-  
 nic. C. ne Christianum mancipium hereti-  
 cus vel paganus & c. habeat, & rescriptū  
 in c. consultuit nos, 19. de appellat. non reci-  
 piendas appellationes Regis Francie pro Iu-  
 dæis interpositas, ut Christiana mancipia  
 retinerent: quod essent contra canonicas  
 sanctiones, quæ non obstantibus appellatio-  
 nibus essent seruandæ.

s Iudæus, qui, 18. l. de Iudæis. C. & ibi ex-  
 stat etiam alia similis latiorque consuetu-  
 do Græca, nunc scripta, incipiens, si Iudæ-  
 us, su. ut. i.

us sumta ex Basilicorum eeloga lib. 6. tit. A

## CAPVT IIII.

Quæ maxime prohibeantur Iudæis & infidelibus dari.

54. c. 31.

t c. in archiepiscopatu de raptorib.

v Vide sup. e caput quarium. de iudæis.

x in c. nonnullis, 15. §. 1. de iudæis, eadem ratione Calares Honorius & Theodosius prohibuerunt in Iudæos quosdam, 11. co. tit. de iudæis, ne iudæi solemnes agerent festiuitates, in quibus sancta crux ad similitudinem speciem, in contemptum Christianæ fidei, sacrilega mente exurebant. Quod faciiebant in memoriam minuendam crucifixi, unde quidam iudæi occasionem irridendi passionem & mortem Domini sumebant.

## CAPVT III.

De personis infidelium, quo tempore cum illis Christiani erant.

Siquando bellum in Sarracenos vel Iudæos, vel Turcas, instituitur a Christianis, prohibita sunt cum illis omnia cuiuscunq; generis sint cōmercia, quibus illi iuari aduersus Christianos possent. a Quare prohibitum illis subministrare arma, ferrum, lintamina, naues, peritos arte nauigandi nautas: & solemnis in eos, qui id fecerunt, proferri excommunicatio mandatur, & qui capientibus serui adiudicantur. b Nihil tamen prohibet ad Turcas nauigare Christianos pretii ferendi causa ob redemptionem captorum Christianorum. c

## SCHOLIA.

a c. quod olim preceptum, 12. de iudæis.

b c. ut quorundam, 6. c. ad liberam terram sanctam, 17. de iudæis. Quæ pōne renouata alius additis in c. 1. de iudæis, in extraneagan. cōmunibus. Additum enim, ut talia agentes sint inestabiles, incapaces successio- nis testamento vel ab intestato delata, sint infames, incapaces publicorum officio- rum. c. c.

c c. significauit nobis, 40. de iudæis.

Episcopo, qui in successione bonorum suorum, paganum prætulit etiam cō- sanguineum, viuens vel post mortem, anathema dicitur, & eius nomen nullo modo debet inter sacerdotes recitari. a Prohibitum & concilio Toletano, officia publica Iudæis concedere, per quæ occasio tribuatur Christianis pœnas inferre. b de paganis id ipsum definitum. c Proinde nec Iudæi contra Catholicum suæ superstitionis habent iudicem, sed Catholicum, d qui & prohibet, ne vim Iudæi Christianis inferant, eosque punit: e quemadmodum & Christianos si Iudæis paganisve admittis & quiete viuentibus, vim inferant, aut noceant. f Nulli enim Christiano impune licet sine iudicio terrenæ potestatis, corpus aliquem occidere vel vulnerare, vel eis pecunias aut bonas consuetudines, quas habent obseruati, auferre, vel iniuriam irrogare. g Non erit tamen accusator vel testis legitimus contra Christianum Iudæus aut Paganus seu infidelis: h quamuis cōtra Iudæos admittatur Christianus. i Possunt Iudæi compelli ad remittendas vsuras enormes Christianis, per potestates & principes seculares, per subtractionem communionis & commerciorum Christianorum, k possunt & cogi ad satisfactionem decimarum & oblationum Ecclesiasticarum, quas Ecclesia Christianis percipiebat, dum domos & agros possiderent, quos ipsi possident. l Adferuntur & casus in quibus Iudæi Christianorum, possint coercere Iudæos, potissimum contra fidem Christianam quippiam persuadentes. m

## SCHOLIA.

a c. si quis Episcopus, 5. de hæretic.

b In consilio Toletano, 3. c. 14. refertur in ca. 14. nulla officia, 54. dist. idem statutum a- lio cons. 4. Toleta, c. 94. relato in ca. 31. cō-

- stituit, 17. q. 4. Rursum in concil. Lateranensi, sub Innocentio 3. in c. cum sit nimis absurdum, 16. & a Gregorio 9. in c. ex speciali, 8. de iudais. Theodos. & Valentiniana. C. C. in l. hac valitura, 19. C. de iudiciis, quo loci eis interdicitur omnes administrationes, dignitates, defensiones ciuitatis, honores patrie, munera iudicandi, & ita corriguntur l. 3. §. si. de decur. l. 50. P. tit. 2. dum permittitur erat ex Seueri & Antonini placitis volentibus iudais adipisci honores.
- A** restibus, lib. 1. tit. 20. ubi ratio, quia illos Christianis subicere oporteat, vel ab eis pro sola humanitate foueri.
- B** c. cum sit nimis & c. ex speciali, de iudais exstat constitutio Græca idipsum statuens in Nomocanone, tit. 4. c. 4. & tit. 1. c. 10.
- C** c. post miserabilem, 12. & c. quanto, 13. de usur. Clem. vni. §. si. eo. tit. de usur.
- D** d. c. quanto, de usur. c. de terris, 16. de decimis. decima quippe reales sunt, quæ tanquam onus coniunctum transeunt cum rebus ad possessores. c. cum non sit, 33. de decimis. c. ex literis & de pignorib. Sicuti & iudai & pagani, tenentur soluere canonem a principe impostum annuum, l. Iudaorum primates, 17. de iudais.
- E** e. c. quanto, de usur. c. de terris, 16. de decimis. decima quippe reales sunt, quæ tanquam onus coniunctum transeunt cum rebus ad possessores. c. cum non sit, 33. de decimis. c. ex literis & de pignorib. Sicuti & iudai & pagani, tenentur soluere canonem a principe impostum annuum, l. Iudaorum primates, 17. de iudais.
- F** f. d. l. nullus eod. tit. de iudais. C.
- G** g. c. sicut Iudai, 9. de iudais.
- H** h. ca. non potest, 24. & sequenti, pagani, 2. q. 7. can. ipsa pietas. 23. q. 4.
- I** i. non obstantibus privilegiis contrariis, Iudais a principibus secularib. concessis, Clem. 2. de testibus c. Iudai siue Sarraceni, 21. de
- M** m. vide glossam ad Clem. vnicam, ad verbum hereticum, de usuris. Host. & alios ad c. quod super his, de voto, ubi & ponuntur casus, in quibus coercentur Iudai siue Sarraceni, de iudais.

## CAPVT V.

## Quare tolerentur Iudai &amp; infideles inter Christianos.

**P**ossunt esse rationes, cur Iudæi permittantur a viuere inter Christianos: prior, vt constet hæreticis & ethnicis legem & fidem Christianam, non humana mente sed ex diuina auctoritate natam, neque confictam, dum hostes fidei sacram scripturam etiam inter se approbant, & antiquitatem diuinam asserunt. Subinde feruntur Iudæi, ne Christiani ipsi, qui nunc sunt, futuriq; sunt, & pagani, confictum putent, quæ nouum testamentum sacrae literæ & Ecclesia Catholica de Domino nostro IESU CHRISTO tradunt: cum in testimoniū adhuc hostes fidei Iudæi vagi & dispersi super sint, donec colligantur, ante iudiciū postremū dispersiones Israel. Penultimo facit spes, quæ putamus tandem conuertendos Christianorum exemplo, vt ideo eos patiatur Ecclesia. Et proinde etiam omnibus modis inuitantur ad suscipiendam fidem, vt si serui sint, libertas etiā inuitis dominis Iudæis concedenda sit. b Si iā liberi sint, cōferentur in possessione bonis, vt & Sarraceni: c indigniq; Christiani effecti

effecti non habeantur ad possidenda beneficia Ecclesiastica, alioquin idonei. d'Postremo & tolerantur, vt Christianis subuiciantur e

## SCHOLIA.

a Iudei dicuntur tolerari, permitti, non autem approbati, c. consilium. 7. de Iudeis, ex humanitate Christianorum, ca. Iudei 21. de testibus, vltra rationes sequentes gloss. in Clem. 1. ad verbum principum, de testi-

b adfert aliam, tolerari a principibus secularibus, propter magnum lucrum, quod ex illis consequuntur, vsus adiecit aliam, quod, quia merito Christiani prohibentur ab vsuris exigendis, mali Christiani per instrumenta Iudeorum vsuras exigunt immensas: sed vt hoc in fraude legis diuinae sit: ita & damnabile & acerrime vindicandum.

b c. 1. & fin. de Iudeis.

c c. Iudei §. de Iudeis. extranag. 2. de Iudeis, in communibus.

d c. eam te, de rescriptis.

e vt impleatur, quod de illis predictum, relinquetur vobis domus vestra deserta, &c. Isaia, capit. 1. & D. Matth. cap. 23. Predictum & subiiciendum illum populum populo Christiano in figura natiuitatis Iacob & Esau, Genes. 25. ibi duo populi, & Osee 2. vocabo non populū meum, &c. D. Ex Iudeis tamen salus, nempe natus Dominus noster Iesus Christus, diui Iohannis Euangelio, cap. 4. ad Romanos c. 9. Et vt Iudeos precipue saluaret, missus Christus, D. Matth. cap. 5. & ad Iudeos missi primum Apostoli, D. Matth. cap. 10. qui tamē nec Christum nec discipulos eius voluerunt audire, D. Matth. c. 12. Ideo conuersi & hi ad gentes. Et predixit dimissis Iudeis in pertinacia Christus, eiciendos a regno Iudeos, & admittēdas gentes, in parabola vineæ, D. Matth. ca. 27. Orat Ecclesia semel in anno in officio diei Sancta Parasceues pro Iudeis & Paganis, quia eo tempore representatur efficacia

passionis Dominica, per quam futurū est, vt Dominus qui fuit crucifixus trahat aliquando omnia ad seipsum. Quia tamen hoc impleri non debet, nisi in fine seculi, non addit Ecclesia in fine orationis pro illis, Amen, Apostolo testante ad Romanos, 11. quod quando plenitudo gentiū introierit, omnis Israel saluus fiet, vide Guilieum Durandum, libr. 5. libri rationalis diuinorum officiorum. c. 77. nu. 13.

## DE HÆRETICIS.

## a TITVLVS VI.

a Agitur de hæreticis, libr. 5. decretalium. tit. 7. in Sext. libr. 5. tit. 2. in Clem. lib. 5. tit. 3. lib. 5. Extranag. communium, & Ioannis 22. libr. 1. c. 11. de hæreticis & Manichæis & Sarracenis, de interditi collegiis hæreticorum. Nouella 132. vide & de Samaritanis Nouellā 129. & 144. vt non liberentur curiali fortuna Iudei, aut Samaritani, aut hæretici occasione eorum religionis, &c. Nouella. 45.

## CAPVT I.

1 Continuatio.

2 Et quid hæreticus sit.

Hæresis, ex qua hæreticus, Græce ab electione dicitur, quod quisque eam sibi deligat disciplinam, quā sibi veriorem putat. b In specie tamen & in iure Pontificio, hæreticus est, qui alicuius temporalis commodi, & maxime gloriæ principatusque sui causa, falsas & nouas opiniones vel gignit, vel sequitur, pertinax autem is, qui huius generis hominibus credit, est homo imagine quadam veritatis ac pietatis illusus. c Sic hæretici ab errantibus distinguuntur. Quare, qui sententiā suam quamuis falsam atque peruersam, nulla pertinaci animositate defendūt, præsertim quam non audacia suæ præsumptionis pepererunt, sed a seductis, & in errore lapsis parentibus acceperunt: quæ runt autem cauta sollicitudine veritatem, corrigi parati, cum inuenerint, nequaquam sunt inter hæreticos deputandi. d